

Joachim Albinus Joan Sacken von

## **Disputatio De Regalibus Minoribus Seu Iuribus Fisci**

Rostochi[i]: Pedanus, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730634205>

Druck Freier  Zugang



Vent.  
Albinus — von Seckner  
1618.







40.48

Disputatio  
DE  
REGALIBUS  
MINORIBUS SEU  
JURIBUS FISCI

4

*Quam*

PRÆSENTE DIVINO AUSPICIO  
Consentiente Amplissima ac celeberrima  
Facultate Juridica, quæ est Rostochij,

PRÆSIDENTE

*Clarissimo ac Consultissimo Viro*  
DN. JOACHIMO ALBINO  
J. U. D.

*Exercitij publici gratis defendere conabitur*

JOANNES von Sacken  
Nobil. Caro - Livon.


*Ad 1. Augusti in Acroasi magna horis matutinis.*



ROSTOCHI  
Typis exscripsit Joachimus Pedanus,  
ANNO M. DC. XVIII

1618







A. D. A. M.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

**D**isputaturi de Regalibus minori-  
bus seu Juribus Fisci, id studebi-  
mus, ut, cum de copioso admo-  
dum & gravi, utili tamen simulq;  
nobili argumento, quod Juris Doctorum juxta atq;  
Politicoꝝ ingenia exercet, hac nostra dis-  
sertatione comprehendere omnia non possi-  
mus, ea, quae dignum praeceteris tractatum ha-  
bere videbuntur, Numinis divini auxilio sub-  
nixi, breviter proponamus.

THESIS I.

**R**egalia igitur à Rege, id est, Imperatore, cui com-  
petunt, dicta sunt; Nam & Romanum (a) & Feu-  
datarium (b) & Canonicum (c) jus, Imperatorem non-  
rarò Regem (d) appellitat.

(a) l. fin. C. de LL. l. bene à Zenone. 3. C. de Quad. praescrip. (b) c. un. 1. F. 26. c. un. 2. F. 54. (c) c. solita. 6. Extr. de major. & obedient. c. inter dilectos. 6. §. tertio. Extra de fide instrument. (d) moderno seculo, qui Imperatori in gubernando imperio adjungitur, & in locum Imperatoris demortui sufficitur, vel qui solus imperio quidem praest, nondum autem, uti receptum, insignia Imperatoria accepit, apud Germanos Rex vocatur; Galli Delphinum, Hispani Infantem nominant,

A

Describi



## II.

Describi possunt Jura Imp. Romano propria in signum supremæ eminentiæ, & imperij utilitatem ei tributa (a); Aliarum quoq; gentium Reges, Principes, Civitates neminem superiorem præter Deum recognoscen-tes sua quoq; Regalia habere non dubitamus (b).

(a) *Henr. Bocer. in tract. de Regalib. cap. 1. n. 1. & seqq. ubi etiam Joann. Borcholti, Henrici à Rosenhal & Herman. Vultei definitiones Regalium examinat & ex parte rejicit* (b) *Scip. Gentil. in Disput. ad Constitut. Friderici Imp. de Regal. lib. 9. & 10.*

## III.

Divisio regalium receptissima est, quâ in Majora & Minora distribuuntur (a) Majora appellamus quæ ad Principis Romani supremam potestatem, dignitatem, & præminentiam sine pecuniario commodo principa-liter pertinent; (b) Minora dicimus ea, quæ ad instru-endum, conservandum & augendum fiscum potissimum spectant: (c) Illa alio nomine Majestatis; hæc Fisci Regalia seu Jura dici queunt: (d) De illis quædam duntaxat recensebimus, (e) de his ex professo breviter tamen agemus.

(a) *Joann. Borcholt. in c. un. de Regalib. n. 3.* (b) *Regn. Sixtin. in tract. de Regalib. lib. 1. cap. 2. num. 2.* (c) *Vult. in tract. de Feud. lib. 1. cap. 5. n. 7.* (d) *cum Henr. Bocer. ind. tract. de Regalib. cap. 2. n. 4.* (e) *prolixius hæc Jura Majestatis tractant Regner. Sixtin. ind. tract. de Regalib. lib. 1. d. c. 7. & Henning. Arnif. in tract. de Jur. Majestat. lib. 2. c. 3. 4. 5. 6. & 7. & Henr. Bocer. in d. tr. de Regalib. cap. 2.*

## IV.

Regalia igitur Majestatis sive Majora sunt; potestas condendi ac interpretandi leges universales, (a) indi-cendi



cendi bellum, delectum habendi & exercitum comparandi (b) Duces, Marchiones, Comites, Barones creandi, ac Ducatum, Marchionatum, Comitatum, Baroniam erigendi; (c) Jus constituendi Magistratus ad justitiam expediendam (d), liberos naturales legitimandi (e).

(a) *l. fin. §. 1. C. de LL. §. sed & quod Principi. Inst. de J. N. G. & C.* (b) *l. lex duodecim. 3. vers. eadem lege ad L. Jul. Majest. l. neminem. 17. C. de re milit. lib. 12. Ordin. Camerae part. 2. tit. 15.* (c) *c. un. & ibi Frid. Schenk. Baro. i. Feud. 14. c. un. in pr. 2. Feud. 10.* (d) *c. un. Qua sint Regalia. 2. Feud. 56.* (e) *N. 74. c. 2. N. 89. c. 9.*

#### V.

Jus erigendi concessis privilegijs Universitatem literariam seu Academiam; (a) Cudendæ monetae, (b) cursus publicos, quos Postas dicimus, constituendi, (c) Nobilitandi, (d) Doctores, Licentiatos, Magistros, Poetas Laureatos, Comites Palatinos, Tabelliones sive Notarios creandi &c. (e)

(a) *l. un. C. de stud. liberalib. lib. 11. l. un. C. de Profess. ribus. Uldar. Zas. in epit. Feud. part. 5. n. 14.* (b) *c. un. Qua sint Regalia. 2. Feud. 56.* (c) *tot. tit. C. de curs. publ. lib. 12.* (d) *Tiraquell. in tract. de Nobilit. c. 6.* (e) *Jacobin. de S. Georg. in tract. Feud. in verb. Sed an Princeps. Sic Bartolus auctoritate Caroli IV. Imper. Comes Palatinus existit.*

#### VI.

Minora seu Fiscii Regalia quod attinet, quandoquidem de ijs nostra hæc est disputatio, videndum imprimis, quid sit Fiscus, dein singula Regalium Fiscii genera sigillatim enucleanda; Fiscii nomen bifariam accipitur; Primò enim ipsum Administratorem sive Præfectum Fiscii denotat; (a) Secundò, locum, quo pecunia & instrumenta

A 2

omnis



omnis patrimonij, quod Principi Romano, ad ejus dignitatem tuendam & usus imperij publicos tributum est, con-  
duntur, (b) significat.

(a) *l. non intelligitur 3. §. multa. 8. l. si Curator. 5. in pr. l. Titius 21. de Jure Fisci. Idg. per Metonomiam fieri scribit Francisc. Duaren. in tit. C. si advers. Fiscum. (b) l. 1. in pr. §. tot. penè tot. ff. §. C. de Jur. Fisci M. Anton. Peregrin. in tractat. de Jur. Fisci lib. 1. t. 1. n. 31. Henr. Boer. in d. tract. de Regalib. cap. 3. n. 1. §. 2.*

## VII.

Hæc de Fiscii appellatione: Regalia Fiscii sunt variæ: Non incommodè fecerimus, si tres quasi classes omnium, constituerimus; Et primam quidem classem eorum, quæ Imper. Romano ex publicis seu universis Reip. bonis debentur; Alteram eorumquæ ipsi ex bonis privatorum, seu in singulorum dominia descriptis adveniunt; Tertiam deniq; bonorum Ereptitorum & Caducorum, hoc est, quæ vel ob delictum alijs auferuntur, vel in nullius alijs dominio habentur.

*Ita fermè Henning. Arnif. in d. tract. de Jur. Majest. lib. 3. cap. 3. in fin.*

## VIII.

Primæ classi annumeramus primò *ARMANDIAS*; Varij variè hoc vocabulum explicant: Alij ex armentis vetergal esse dicunt (a) Alij volunt esse litra publica, quæ, quia arida sunt, armandiæ ab ariditate dicantur. (b) Alij aliter hoc interpretantur verbum (c) Nos verissimum esse putamus, quod primus vidit Eguin. Baro, Armandias diei officinas publicas sive Armamentaria, in quibus arma ad usum Reip. fabricantur. (d)

(a) *Jacob. Aluvrot. in c. un. in pr. Quæ sint Regal. 1. F 56.*  
(b) *Matth. de Affict. in d. c. un. in verb. Armadia num. 2.*

*ut;*



(c) uti videre licet apud Regn. Sixtin. in d. tr. de Regalib. lib. 2. c. 1. n. 2. & seqq. & Henr. Bocer. in d. tract. de Regalib. c. 2. n. 137. (d) Hæc enim Princeps Romanus sibi soli vendicavit N. 85. c. 1. in fin. t. tit. Cod. de Fabricens. lib. 11. & ibi Cujac.

### IX.

Secundò ad primam Regalium minorum classem referimus VIAS PUBLICAS, quæ & βασιλικαί Græcis, id est Regiæ, uti & Prætorix vel Consulares, nostro idiomate Kaysersliche freye Heer oder Reichsstrassen appellantur (a) Pertinent autem Viæ publicæ ad Regalia duplici respectu: Quod Imperatori jus sit cogendi Cives Romanos, Magistratus maximè Provinciæ & territorij ejusq; ut vias publicas & maniant & tutas reddant. (b)

(a) l. Prator. 2. §. viarum. 22. Ne quid in loc. publ. Herm. Vul. 1. Feud. 5. n. 7. (b) l. absit. 4. & ibi Cujac. C. de priv. dom. August. lib. 11. l. congruit. 13. in pr. de offic. Præs. N. 131. c. 5. Hinc tanquàm consuetudinarium quoddam deducitur, ad resarciendum damnum euntibus per viam publicam illatum, principem obligatum; idq; validiore nexu, si vel vectigal vel pedagium sit ea gratia depensum And. Gall. lib. 2. obs. 64.

### X.

Et quod jus ei sit exigendi vectigal ratione publicæ viæ (a) Priore respectu Via publica est de majoribus; posteriore, qui hujus loci est, de Regalibus minoribus reputatur (b).

(a) Andr. Knichen. de privileg. Elect. & Duc. Saxon. de non provot. in verb. Ducum. cap. 5. in verb. Strassen. (b) neq; absurdum est, idem Regale diverso respectu majus & minus appellari.

### XI.

Vias publicas sequuntur ELUMINA NAVIGABILIA, ET EX QUIBUS FLUNT NAVIGABILIA, quæ licet etiam ratione



ratione potestatis cogendi, ut publicè coactis operis ad commodiorem navigationem ripæ muniantur & alvei purgentur, Regalibus majestatis quidam (a) adjungant; tamen & Fisci Regalibus propter utilitatem ex decursu fluminum istiusmodi ad Fiscum provenientem adponi posse arbitramur (b).

(a) *Hotom. in d. c. un. Quæ sint Regal. Henr. à Rosenth. in tract. de Feud. c. 5. concl. 23.* (b) *Jacob. Cujac. post Radevicum ad d. c. un. Quæ sint Regal. 2. F. 56.*

## XII.

Fluminibus subjungimus *PORTUS*; Portus est locus in mari vel flumine, ubi naves tutò stare possunt, & à ventis, procellis & pyratis securæ sunt. (a) Isq; naturalis vel artificialis. (b) Hoc nomine autem hîc non portatoria tantum significantur (c) sed & dominium & jus omne comprehenditur. (d)

(a) *l. 1. §. stationem. i. 3. de Fluminib.* (b) *arg. l. ad portus 7. C. de Oper. publ.* (c) *l. inter publica 17. §. publica 1. de V. S.* (d) *Scip. Gentil. Disput. ad Constitut. Frid. Imp. de Regalib. lb. 87.*

## XIII.

Quintò circa primam classem minorum regalium sese nobis offerunt *ARGENTARIÆ*: Adscribunt & huic voci duplicem significationem; Alij namq; munus argentariorum intelligunt vel potius jus constituendi mensas argentarias, seu potestatem argentariæ faciendæ: (a) Alij intelligunt argentifodinas: (b) Nos ut ut voce argentariæ officium argentariorum venire possit, posteriorem tamen significationem huic loco magis congruam opinamur. (c)

(a) *Equin. Baro & Francisc. Hotom. in d. c. un. Quæ sint Regal.* (b) *Feudista communiter in d. c. un.* (c) *Henning.*



ning. Arnif. in d. tr. de Jur. Majestat. lib. 3. c. 5. numer. 4.  
lit. B.

#### XIV.

Quâ ratione Fodinæ istæ ad Regalia pertineant, non eadem omnium est sententia. Nos illos, qui inter locum publicum & privatum distinguunt, & in illo fodinas simpliciter de Regalibus esse, (a) in hoc autem repperitas non proprietatis sed Decimæ seu vectigalis Fisco inde debiti (b) ratione, Regalibus accenseri scribunt sequimur. (c)

(a) non quidem singulari quodam & civili jure, quo Regalia ad Fiscam pertinent, sed jure omnibus gentibus communi Henr. Bocer. in d. tr. de Regalib. c. 3. n. 165. (b) Hoc ad secundum genus jurium Fisci pertinet quidem, sed ob connexitatem cum fodinis publicis hic attingimus: Vocatur autem vectigal Canon metallicus l. ob metallicum. 2. C. de metallar. & metallis lib. 11. (c) Petr. Heig. lib. 1. quest. civ. & Saxon. q. 13. n. 19. & seqq.

#### XV.

Addimus prædictis PALATIA; (a) Faciunt hujus vocis duplicem lecturam; Hotomannus (b) non palatia sed placida seu placia è Germanicâ vocè Plas quod forum interpretatur; atq; ita verbo placitorum vel placiorum intelligit jus constituendarum nundinarum in platio seu foro (c) Alij rectius Palatiorum nomine sedem Imperatoriam seu ædes in usus Imperatoris extructas venire arbitrantur (d)

(a) Henr. Bocer. in d. tr. de Regalib. cap. 2. num. 162. Palatia majoribus Regalibus accenset: Nos an communis, que ea adminora refert, possit defendi videbimus cum Herm. Vult. de Feud. lib. 1. cap. 5. num. 7. (b) in d. c. un. Quæ sint Regal. 2. E. 56. (c) quod jus Imp. sibi soli sumpserunt l. 1. de Nund. (d)

Cujus



Cujusmodi ades incivitatib. excitatas testatur Frider. in d. c. un-  
Et speciatim de Casarico palatio in castro Norimbergensi meminisse  
aurea bulla Caroli IV. Imp. tit. Bon dem Ampe der Churfürs-  
ten. I. wir finden auch Henning. Arnif. in d. tr. de Jur. Maje-  
statis lib. 3. c. 5. n. 5.

## XVI.

Progredimur ad secundam minorum Regalium clas-  
sem; Ad quam referimus, Vestigialia, Ripatica, An-  
gariarum Parangariarum, plaustrorum & navium præsta-  
tiones, Extraordinariam collationem ad felicissimam  
Regalis numinis expeditionem, Piscationum & Salina-  
rum reditus.

*Vid. ib. 7.*

## XVII.

VECTIGAL (a) strictè & propriè dicitur Portorium,  
sivè quod ex mercium importatione & exportatione ca-  
pitur. (b) Latè accepto vectigalis vocabulo etiam tri-  
buta & stipendia alioq; plura veniunt (c) Prior acceptio  
est hujus loci (d) Et tale vectigal de Regalibus esse omne  
jus tam divinum (e) quàm humanum (f) docuit.

(a) Vectigalia vulgo etiam dicuntur Telonia, Gabella, c.  
un. 2. F. 56. (b) l. inter publica 17. §. fin. de V. S. tot. tit. ff. §  
C. de Vectigalib. (c) Jacob. Cujac. 7. obs. 3. § 4. (d) quod  
subjecta illa expositio declarat, quæ Telonia dicuntur (e) Luc. 23.  
vers. 2. (f) c. un. Quæ sint Regal. 2. Feud. 56. c. innovamus.  
10. Extr. de Censib. Joachim. Mynsing. 5. obs. 29.

## XVIII.

Nemo igitur, excepto Principe, aut nova instituire,  
aut vetera reformare vectigalia potest, (a) Fructus quo-  
quæ sive jus exigendi vectigalis principali authoritate  
jam constituti solius Principis est (b) nisi hoc Inferiori-  
bus Privilegio concessum vel alio jure legitimo quæsitum  
sit. (c)

(a) l. si pro;



(a) l. si provincialium 4. & tot. tit. C. de vectigal. nova instit. non posse. Henning Arnif. in d. tr. de Jur. Majest. lib. 3. c. 7. n. 6. (b) l. omnium. 6. C. de vectigal. & commiss. (c) vid. th. 37. & 38.

### XIX.

Sequuntur *RIPATICA*, Quo nomine vectigalis genus significari omnes consentiunt, sed quale sit & pro quâ re pendatur inter se non conveniunt. Verissimum vero nobis videtur id vectigal intelligi tum quod navigantes per flumen, ex eo, quod ripam fluminis appellant, ad eamq; alligatis navibus aliquandiu consistunt, præstant, (a) tum quod per flumen de ripa ad ripam trãncientes publicanis huic vectigali constitutis, exoluunt. (b)

(a) uti moris est in Germania & Gallia fluminibus. (b) Henric. Bocer. in d. tr. de Regalib. c. 3. n. 136.

### XX.

Quid sint *ANGARIÆ* & *PARANGARIÆ*, explicatu satis difficile est; Nobis illorum sententia probatur, qui verbo Angariatum onera significari putant, quæ ratione publici cursus injunguntur, & propriè, qua publicus cursus est dispositus; Cum Parangariæ sint, cum aliò versum, vel in obliquum itur.

Ita Cujac. eas explicat ex lib. 1. Βασιλικῶν in Rubr. C. de Fabricens & tit. C. de Curs. publ. Ang. & Parang. lib. 12. quem sequuntur Joan. Borcholt. in t. un. Quæ sint Regal. n. 84. Herman. Vult. 1. F. 5. n. 7. §. 14. Aliam conjecturam novissimè nobis quoq; de his reliquit Henric. Bocer. in d. tr. de Regalibus c. 3. n. 240. & seqq.

### XXI.

Præstationes autem hæ non inter personalia vel mixta (a) sed inter patrimonialia munera referendæ sunt; (b) Ab ijsq; nemo ferè excusatur; præsertim cum Imperator

B

in



in expeditionem aliquam proficiscitur vel aliqua publica  
necessitas urget. (b)

(a) uti faciunt Andr. de Fern. Jacob. Alvarot. Matth.  
de Afflict. & Communiter Feudista in d. c. un. in verb. angaria.  
Quæ sint Regal. 2. F. 56. (b) Inducuntur enim possessionib. &  
rebus, non personis l. fin. §. patrimoniorum 21. de munerib. &  
honorib. l. sunt munera 11. in pr. de vocat. & excusat. muner.  
(c) l. neminem 11. C. de SS. Ecclesijs. l. hac nostra 2. C. de Prapof.  
Sacri cubiculi. lib. 12.

## XXII.

Subsequitur EXTRAORDINARIA COLLATIO, QUÆ  
FIT AD FOELICISSIMAM REGALIS NUMINIS EXPEDI-  
TIONEM. (a) Collatio alia est ordinaria (b) alia extraor-  
dinaria; (c) Illam vocamus, quæ ex lege vel consuetudi-  
ne certam in re & tempore habet præstationem; (d) Hanc  
quæ ad tempus ex improvise præter morem inducitur. (e)

(a) Die Reichsteur zu einem Römerzug; Quod plurimi  
& in his etiam Hotomam. Fodrum interpretantur, quod inter  
Regalia refert Frideric. 1. Imp. in Constitution. de pace Constanz.  
§. sententia. vers. Nobis autem (b) quæ anniversaria &  
Canonica dicitur l. omnes. 1. C. de indictionibus. lib. 10. & ex  
Kalend. Septemb. incipiebat. l. omnem 1. C. de milit. veste lib. 12.  
(c) quæ etiam indictio extraordinaria, superindictum & super-  
indictio vocatur. l. fin. C. de superindict. lib. 10. l. 1. C. de privi-  
leg. dom. Augustæ. lib. 11. (d) d. l. 1. C. de milit. vest. lib. 12. (e)  
Petr. Heig. lib. 1. quest. 17. n. 10. & seqq. & collecta vulgò nun-  
cupatur. Andr. Geil. 2. obs. 52. n. 9. & 10.

## XXIII.

Quamvis autem Fridericus Imp. unam duntaxat col-  
lectarum speciem Regalibus adjungat; (a) Omnes tamen  
alias etiam de Regalibus esse existimamus; (b) Et univer-  
sales quidem, quæ ad utilitatem & defensionem totius  
Impe-



Imperij spectant, à solo Imp. indicunt & r: (c) Provinciales  
(d) Provinciæ Dominus subditis imponere potest etiam  
in scio Imperatore. (e)

(a) per quam intelligit expeditionem Italicam seu transal-  
pizationem, quam Germani Imp. ad sumendam Imperij coro-  
nam suscipiebant. c. un. 2. F. 54. Vid. Conrad. Ritterbus. lib. 2.  
part. Feud. cap. 1. q. 36. (b) cum Joanne Camman. in Collegio  
politico Jurid. disp. 12. th. 76. (c) Die Reichssteuer oder Reichs  
anlag. l. un. C. de Superindict. lib. 10. Hodie considerat à Resp.  
formâ consensus statuum Imperij accedat necesse est, uti Reccessus  
Imperij Augustanus de Anno 1530. §. Und nach dem offenbahr.  
& §. seqq. Ratisponensis de Anno 1532. in pr. & Spirensis de  
Anno 1542. in pr. indicat. (d) Die Landsteuer. (e) Vid. Matth.  
Wesenb. conf. 45. n. 10. part. 1. Joan. Borcholt. in d. c. un. n. 53.  
Quæ sint Regal. Henr. Boter. in d. tr. de Regalib. c. 2. n. 218.

#### XXIV.

Conjungimus prædictis PISCATIONUM REDITUS:  
Malè illi qui redditum piscationum intelligunt ipsum jus  
piscandi in mari & fluminibus publicis (a) Hi rectè qui  
redditum illum interpretantur solum vestigal, quod ex  
piscatione solvitur, id est, partem prædæ piscatoriæ (b)

(a) cum hoc jus commune sit omnibus, non Principi pe-  
culiare. l. nemo 4. de division. rer. l. injuriarum 13. §. si quis 7.  
de injur. (b) l. inter publica. 17. §. fin. de V. G. Henr. Boter. in d.  
tract. de Regalib. c. 3. n. 141.

#### XXV.

Ultimum locum secundæ classis occupant REDITUS  
SALINARUM; quæ in publico loco inventæ in solidum  
ad Principem pertinent; (a) In privato repertæ, à pri-  
vatis ut ipsorum propriæ possidentur: Reditus tamen  
& Canon ex ijs ad Regalia pertinet & inter publica vesti-  
galia numeratur. (b)



(a) eodem, quo argenti fordine jure, de quo vid. Thes. 14.  
(b) d. l. inter publica. 17. §. fin. de V. S. Ex Aureâ Bulla Caroli  
IV. Imperat. Rex Bohemia & Electores Imperij in proprijs di-  
visionibus repertas Salinas sibi vendicant, nec quicquam de ijs Ca-  
sari pendunt. Vid. Henning. Gæd. cons. 3.

### XXVI.

Supereſt tertia minorum Regalium claſſis, quæ Ereptitia & Caduca bona complectitur; Ereptitia bona eſſe diximus (a) quæ Dominis propter ſcelera perpetrata adimuntur & Fiſco inferuntur; Ad hunc igitur locum pertinent *MULTARUM PŒNARUMQ; COMPENDIA.* (b)

(a) in tb. 7. (b) d. c. un. Quasint Regal. 2. Feud. 56.

### XXVII.

Pœna & mulcta variè differunt; (a) præſertim quod mulcta omnis pecuniaria, quædam pœna etiam capitis & exiſtimationis eſt; (b) Omne autem pœnæ pecuniariæ compendium ad Fiſcum non ſpectat; Nam ſive ex delictis privatis (c) ſive actionibus popularibus (d) civiliter agatur; pœna non Fiſco ſed læſis applicatur.

(a) uti videre eſt in l. aliud fraus. 131. §. inter multam 1. & ibi Joan. Gæd d. de V. S. l. ſi qua pana. 244. Eod. (b) d. l. aliud fraus 131. §. 1. junctâ l. 1. C. de mod. mulctar. §. fin. Inſt. de obligat. quæ ex delict. nascunt. §. fin. Inſt. de Vi bon. rapt. arg. l. ſi cui 12. d. V. S. Joan. Harprecht. in §. pœnales. 12. n. 10. Inſt. de Actionib.

### XXVIII.

Porro ad tertiam minorum Regalium claſſem ſpectant *BONA QUÆ INDIGNIS à FiſCO ERIPiUNTUR;* (a) Hic omnino Indignus (b) ab incapace diſtinguendus; Indigno enim relictum Fiſcus regulariter ſibi vindicat (c) At relictum Incapaci pro non Scripto habetur (d) Proinde non ad Fiſcum (e) ſed vel ad Subſtitutum (f) vel ad coheredes.



des Scriptos (g) vel his deficientibus ad heredes legitimos  
(b) pertinet.

(a) d. c. un. *Qua sint Regal. 2. F. 56.* (b) quem malè in l. cum  
qui. de his que ut indign. cum Incapace confundit Accurs. & ideò  
rectè eam ob causam reprehensus à Jacob. Cujac. in lib. 16. questio.  
Papiniani, ad l. 12. de his que ut indign. aufer. pag. 415. (b) d. c.  
un. in verbis, nisi que specialiter quibusdam conceduntur. 2. F. 56.  
(c) l. 1. C. de heredib. instit. (d) l. si in metallum. 3. in pr. de his  
que pro non script. habent. M. Anton. Peregrin. in d. tract. de  
Jure Fisci lib. 3. t. 1. n. 2. (e) l. 1. Eod. (f) l. un. §. in prime 3. C.  
de caduc. tollend. (g) l. in plurium. 70. in pr. de acquir. heredit.

### XXIX.

Tertiæ minorum Regalium classi annueramus ter-  
tiò DAMNATORUM & PROSCRIPTORUM BONA, (a) Quæ  
jure veteri nullis liberis, qui aliàs Fisco in dimidiâ parte  
(b) potiores erant, existentibus, ad Fiscum pertinebant  
omnia. (c)

(a) d. c. un. *Qua sint Regal. 2. F. 56.* (b) l. 1. §. liberis. 3.  
de bon. damnat. l. quando 10. in pr. C. Eod. Imò in casu quo plu-  
res extiterunt liberi, hos Fiscum planè excludere, voluit Divus  
Hadrian. Imp. in l. cum ratio. 7. §. si plures. 3. de bon. Damnat.  
(c) d. l. quando 8. & tot. tit. ff. & C. de bon. damnat.

### XXX.

Jus novum in tota successione & liberos omnes &  
Ascendentes ad tertium usq; gradum Fisco præfert. (a)  
Deficientibus liberis & hisce parentibus admittitur Fiscus;  
ex latere Agnatis & cognatis planè exclusis. (b)

(a) Novel. 134. c. ult. (b) Irnerius, qui autoritate Friderici  
I. Imp. Authenticas in Codicem retulit, etiam collateralium lineam  
ad tertium usq; gradum Fisco potiozem facit, Auth. bona  
damnatorum. C. de bon. proscript. seu damnat. Verum dormita-  
vit bonus Irnerius, uti ipsa collatio N. 134. c. ult. cum de Auth.



*bona damnatorum demonstrat. Anton. Faber. de Error. pragmat.  
decad. 3. error. 5. Henr. Bocer. in d. tr. de Regalib. c. 3. n. 72.*

XXXI.

Quæ hactenus de mulctis & pœnis itemq; de indignorum, Damnatorum, & Proscriptorum bonis differvimus, ad varia delictorum genera pertinent; Quæ speciatim, si Disputationis Cancelli paterentur, recenseremus. Omissis igitur alijs, de duobus duntaxat, quorum ipsemet Frider. Imp. (a) meminit, nimirum de nuptiarum incestarum & Majestatis læsæ criminibus, pauca & huic loco convenientia adducemus.

(a) *in d. c. un. Quæ sint Regal. 2. F. 56.*

XXXII.

*INCESTÆ NUPTIÆ* sunt, quas contrahit aliquis cum ea cognata, vel ad fine sua, quam conjugem jure habere nequit (a) Suntq; vel jure gentium vel jure civili (b) incestæ. Hanc contrahentibus præter alias pœnas (c) bona eripiuntur & in Fiscum coguntur; (d) dummodo liberi legitimi non adsint; hos namq; Fisco præferimus. (e)

(a) *l. si quis viduam §. de questionib. (b) l. fin. de rit. nupt. l. fin. §. fin. de condict. sine causa l. si adulterium 38. in pr. ad L. Jul. de adult. (c) N. 12. c. 1. Auth. incestas. C. de incest. nupt. sed cum Fisco nil inferant, non sunt hujus loci. (d) N. 12. c. 1. §. 2. N. 154. (e) d. N. 12. c. 2. d. Auth. incestas. C. de incest. nupt. Ita ut bona mox quidem habeant, parentem autem alant; Nam, teste Justiniano, licet legum contemptor & impius sit, pater tamen est. d. N. 12. d. c. 2.*

XXXIII.

*MAJESTATIS CRIMEN* duplex est; unum perduellionis, alterum generis nomen retinet & Majestatis crimen dicitur (a) pœna Hujus gravissima & multiplex (b) Hujus loci adeptio est omnium bonorum, quæ, liberis & parentibus etiam exclusis, Fiscus consequitur. (c)

(a) *l. do-*



(a) *l. donationes 31. §. fin. de donationib. l. fin. ad L. Jul. Majest. l. cum filius 76. §. fin. de Legat. 2. Regner. Sixtin. in d. tr. de Regalib. lib. 2. c. 10. n. 11. § 12.* (b) *l. quisquis 5. in fin. prin. C. ad L. Jul. Majest. Aur. Bulla Caroli IV. Imp. iii. Von der Erbs bischofft seggen.* (c) *d. l. quisquis. 5. in pr. l. majestatis. 6. C. ad L. Jul. Majest. l. quando 10. in fin. Auth. bona damnatorum. C. de bon. proscript. seu damnat.*

#### XXXIV.

Hæc de bonis creptitijs; nunc de Caducis. Caduci varia acceptio est, Hic pro bonis quæ herede carent & alio nomine *BONA VACANTIA* dicuntur (a) & Fisco addicuntur (b) sumitur. Definimus vacantia bona cum Impp. (c) bona illius defuncti, qui nullum ex qualibet sanguinis linea, vel juris titulo legitimū reliquit intestatus heredem.

(a) *l. un. §. cum autem C. de caduc. tollend. l. vacantia. 4. C. de bon. vacantib. lib. 10.* (b) *c. un. que sint Regal. 2. F. 56.* (c) *in d. l. vacantia 4. C. de bon. vacantib. lib. 10.*

#### XXXV.

Revocare quidam volunt ad hunc locum, quo de Caducis agitur, Bona naufragio expulsa & litori vel ripæ adjecta; Verū nullo jure, prava forsam consuetudine nuntur quam Fridericus (a) & Carol. V. Impp. dicerent damnant.

(a) *auth. navigia. C. de furt. (b) in D. H. D. art. 2. 18. Geil. 1. obs. c. 18. Joan. Bodin. lib. 1. de Repub. c. ult. Henning. Arnis. in d. tr. de Jure Majest. lib. 3. c. 6. n. 19.*

#### XXXVI.

Rectius *THESAURUM* huc revocaveris; (a) Qui est vetus quædam pecuniæ depositus, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat (b) Dimidium ejus in loco Cæsaris inventi non data opera (c) vel in loco religioso Frider. (d) juribus Fisci annumerat.

(a) *Nam cum Dominum non habeat appellatione Caduci non ineptè*



ineptè continetur. Scip. Gent. in d. Diss. ad consit. Frider. de  
Regalib. th. 128. (b) l. nunquam. 31. §. 1. de acquir. rer. dom. (c)  
si data opera sit inventus, totus Cæsari Fiscog, adjudicatur. (d)  
DD. Fratrum constitutionem in l. 3. §. si in locis. 20. de Jure Fiscii  
secutus d. c. un. Quæ sunt Regal. 2. F. 56.

### XXXVII.

Absolutis tribus minorum Regalium classibus hîc aptè  
quæritur, quibus modis communicentur, vel Imperatore  
Inferioribus hæc Regalia acquirantur; Et tres modos, (a)  
Privilegium seu concessionem summi Principis, Præscrip-  
tionem & Conventionem statuimus.

(a) cum Scip. Gent. in disputat. ad Frid. Imp. constitutionem  
de Regalib. Henric. Bocer. vero in d. tr. de Regalib. c. 4. duos modos  
facit. Regner. Sextin. in tract. de Regalib. lib. 1. c. 5. tres modos  
Privilegium, consuetudinem & præscriptionem recenset.

### XXXVIII.

De concessione & conventionem, cum sint facti, per-  
petua regula tradi non potest; Sed ex mēte concedentium  
& contrahentium alijsq; quæ negotium circumstant, col-  
ligere debemus, quid & quantum concessum & conven-  
tum sit. (a) Præscriptio alia locum hoc loci non habet,  
quam temporis immemorialis. (b)

(a) Hinc varie illa & insignes quæstiones, quas passim de hoc  
articulo DD. moveant, & plerasq; complexus est Henr. Bocer. in d.  
tract. de Regal. c. 4. à n. 1. usq; ad n. 45. (b) c. super quibusdam 26.  
vers. præterea. Ext. de V. S. Recessus imperij Augustanus de Anno  
1548. §. Und sol vnser. §. Wan auch. & §. Wo aber innerhalb  
Menschen gedencken. l. hoc jure. 3. §. ductus aquæ. 4. de aqua  
quot. & astiv. Regen. Sixtin. in d. tr. de Regalib. lib. 1. c. 5. n. 137.  
& seqq. M. Anton. Peregrin. in d. tract. de Jur. Fiscii  
lib. 1. in tit. de his qui jura Fiscal. n. 65.



# CORONIDES

## I.

*Venationem Regalibus non esse annumerandam dicimus.*

## II.

*In alieno, eadem ratione, ut jure Romano, vendari, ita & piscari contra Vvesenb. in parat. de acquir. rer. domin. n. 7. licitum esse asserimus.*

## III.

*Quæ pœnæ contra Principum & cæterorum Magnatum, qui venandi jus sibi rite habent quasitum, edicta venantibus infligenda veniant, diversæ diversorum fctorum extant sententiæ? Distinctionis fœdere num reconciliari possint videbimus.*

## IV.

*Beneficium Constitutionis Religionis, auff den Religions frieden / Anno 1555. in comitijs Augustanis communi Statuum consensu promulgata, immediata imperij membra inter se habere certum est: Sed quid, si Magistratus ipse suis subditis intuitu religionis vim inferat, eos turbet, divexet, nullum ne illi dictæ constitutionis beneficium habent? Utiquè; non quidem quale immediati, sed EMIGRANDI; quod licet audiendo miserum, experiundo durum, tamen considerando ante erectam constitutionem in Evangelicos tyrannidem, beneficium sanè est. Conflit. Religion. §. Wo aber vnsere.*

*V. Hoc*




## V.

Hoc vero Emigrandi beneficium num sit necessitatis, ut videlicet subditus, si Augustana confessionis esse velit, simpliciter emigrare & discedere, nisi eijci velit, aut ei religioni, quæ isto in loco est, adherescere cogatur, maximopere dubium & utramq; in partem in Camera Imp. disputatum? Petr. Frid. Mind. in tr. de proceis. Cam. Imp. lib. 1. cap. 30. n. 2. aliquot probat rationib. id non necessitatis sed voluntatis esse: Contrarium cōtraria adferendo præjudicia asserit Adrian. Gylman. tom. 3. Symph. fol. 210. in verb. Mandata de migrando.

## VI.

An, controversiâ inter Augustanos & Catholicos in puncto Religionis ortâ, Casari cum Camera imperij concurrentis sit jurisdictio, ita ut præventio locum habeat, non ineleganter queritur? Adfirmativam Iust. Springer. Moll. in tract. de Pac. Religion. cap. 14. pap. 142. defendit. Vid. Recels. imp. de anno 1555. S. wir befehlen vnd gebieten & S. vnd dan dieweil beiderseits Religionis verwante &c. & Petr. Denais. de jur. Camer. cap. 181. in verb. Mandata super Religione. n. 1. 2. & 5.
















the scale towards document

# ORONIDES

## I.

*m Regalibus non esse annumeran-*

## II.

*dem ratione, ut jure Romano, vend-  
tri contra VVefenb. in parat. de  
domin. n.7. licitum esse afferimus.*

## III.

*ontra Principum & cœterorum Ma-  
enandi jus sibi rite habent quæsitum,  
bus infligenda veniant, diversa di-  
rum extant sententiæ? Distinctionis  
conciliari possint videbimus.*

## IV.

*Constitutionis Religionis, auff den  
en / Anno 1555. in comitijs Augu-  
Statuum consensu promulgata, im-  
ij membra inter se habere certum  
l, si Magistratus ipse suis subditis  
is vim inferat, eos turbet, divoxet,  
dicta constitutionis beneficium ha-  
non quidem quale immediati, sed  
quod licet audiendo miserum, ex-  
m, tamen considerando ante ere-  
onem in Evangelicos tyrannidem,  
est. Constit. Religion. S. Wo  
V. Hoc*